

conueniunt, hinc in sacris litteris vel indefinite de gente quacunq̄ue, vt *Matth.* 24, 7. c. 25, 32. vel definite de certa natione seu gente assumitur, de quo conferri possunt *Luc.* 7, 5. *Iob.* II, 48. 50. - 52. Hic laxior significatus obtinet, vt multitudinem s. turbam hominum indicet, licet & certo respectu totum genus humanum vna natio & gens vocari possint, quatenus ab vno parente originem trahunt. Vocantur autem ita ob insignem multitudinem hominum, qui ab *Adamo* originem trahunt.

§. VIII.

Quod totum genus humanum hic comprehendatur, signum vniuersalitatis $\pi\tilde{\alpha}\nu$ sufficienter indicat; consequenter omnes homines qui ante *Paulum* vixerunt, & cum illo coetanei erant, ac post illum vitam sunt habituri. Ergo omnia indiuidua diuersarum specierum & omnes nationes, nulla exclusa, comprehendit. Quod eiusmodi extensionem haec vox habeat, ex constructione, quia absolute sine vlla negatione ac restrictione ponitur, & ex *1 Tim.* 2, 4. intelligi potest. Adhiberi hoc potest aliqua ratione contra eos, qui statuunt, ante Adamum fuisse homines, quibus *Isaacus Peirerius* praeiuit, cum non alii ante Adamum existere potuerint, si omnes homines ab vno sanguine, scilicet *Adami*, sunt, de quo dictum nostrum aperte agit; si hoc conceditur, necessarium est, ante Adamum non homines fuisse. Si ante Adamum exstitissent homines, non opus fuisset, Adamum miraculoso modo ex terra formare ac producere. Nostram sententiam tota *Mosis* historia de creatione omnium rerum confirmat, nam *Genes.* 2, 5. dicitur: homo non erat, qui operaretur terram, ergo non alii homi-

mi-